

Franckesche Stiftungen zu Halle

Conspectus Chirurgiæ Tam Medicæ, Methodo Stahliana Conscriptæ

Juncker, Johann

Halæ, MDCCLVII.

VD18 90812107

Tabula V. De Tumoribus Inflammatoriis.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

TABULA V.

DE

TUMORIBUS INFLAMMATORIIS.

I. DEFINITIO.

Inflammatio est motus humorum in aliqua corporis parte ultra gradum naturalem auctus, quo principium vitale sanguinem, in veram stasim ibi deductum, resolvere & discutere intendit; vel, si nō hoc obtinere nequeat, sulphureas, fermentativas, summe agiles particulas, in hac stasi contentas, subtrahere, & reliquam, minus noxiā, portionem in laudabile *pus* convertere conatur: ut hac ratione corruptio putredinosa, a stasi tali exspectanda, praeoccupetur, & præceps fermentativa diffusio præscindatur.

II. DIFFERENTIA.

1. Tractavimus quidem negotium inflammationis in *tabulis medicis*, quoniam autem haec materia in foro chirurgico non minimum sibi vendicat locum, & multi vulgo errores, imo gravissima damna, a perversa inflammationum tractatione originem sumunt, non superfluum erit, plura de hac re adjicere, & ea, quæ jam dicta sunt, ulterioribus notis illustrare.
2. Tres inflammationis *species*, nempe *erysipelaceam*, *phlegmonodeam* & *apostematosam* tabula *medica* explicavimus. Hic adjicimus specialiores differentias,
 - 1) *Erysipelas* differt a *phlegmone*, quod in *latum* tantum sit diffusum, & cutis tantum inflammationem exhibeat. Quando autem tam in *latum*, quam in *profundum* tendit, *phlegmone* appellatur.
 - 2) In *erysipelate* color magis ad flavedinem, in *phlegmone* autem ad ruborem excedit.
 - 3) *Erysipelas* mutat subinde sedem suam, & ex uno in alium locum cedit, augmenta etiam celeriter sumit; *phlegmone* autem in uno loco subsistit, & tardius augetur.
 - 4) *Erysipelas* majorem quidem fervorem inducere observatur, *phlegmone* autem, uti plerumque a *metastasi febrili* exoritur, ita ordinarie

rie motus febriles habet conuentos. Nam motus inflammatorius *partialis* quando in *uniuersam* humorum massam diffunditur, *febris inflammatoria* appellatur.

- 5) *Erysipelas*, quando premitur, color disparet, & mox redit; phlegmone autem propter duritiem suam hanc coloris mutationem non subit.
- 6) Hoc interea habent commune, ut ad *suppurationem* non inclinent. Quando autem incongrua arte suppuratio respicitur, corruptio *feroso-falsa*, loco laudabilis suppurationis, facile emergit.
3. De *phlegmone* notare convenit, quod ab auctoribus non aequae exacte describatur. Plerumque enim *generico* sensu ab illis sumitur. Est autem *species* inflammationi, quæ stans sanguinis intraporos & tenuissima vascula in *latum* & *profundum* involvit.

III. SIGNA

1. *Erysipelatis*.

- 1) Praecedit *rigor* quidam in parte illa cutanea.
- 2) Hunc excipit *dolor* congestior in eadem affecta parte.
- 3) Succedit *tumor aequalis*, qui intra exiguum tempus tale sumit augmentum, ut *cuticula* nitescat.
- 4) Nonnunquam *mador* quidam, vesiculos quasi formans, in hoc tumore observatur.
- 5) Continuat hic tumor per *dies* circiter *quatuor*, quo tempore sensim iterum decrescit.
- 6) *Colorem* exhibet non tam insigniter rubicundum, quam flavescentem. Quando autem magis pallidus est tumor, quod rarius observatur, a *Germanis* appellatur: die *weisse Rose*.
- 7) Aliquando de loco in locum migrat, imo per universam corporis peripheriam se diffundit.

2. *Phlegmones*.

- 1) *Tumor* adeat non solum in *latum*, verum etiam in *profundum* diffusus, durus, rubicundus, præter naturam calidus, in *altitudinem* non adeo elevatus.
- 2) In *peripheria* accedunt *dolores* spastici, lacinantes.
- 3) *Duratione* hæc species inflammationis longe superat *erysipelatum*.

4) Spon

- 4) Sponte sua uti ad suppurationem non est idonea, ita, si perversa arte eo deducatur, legitimū & bene coctū *pus* non exhibet, sed materiam *ulcerascentem*. Unde & facile in ulcus manans, serpiginosum, vel plane fistulosum transmigrat.
- 5) Commotiones febriles ordinarie praecedunt & coniuncte sunt.
- 6) Quando a *metastasi febrili* exoritur, invadit cum horrore, per unam & alteram horam durante.
- 7) Huic succedit *astus*, quem sensus *ardoris* excipit.
- 8) Contingunt ejusmodi stases phlegmonodes in *carnosis* plerumque & *spongiosis* locis.
- 9) Insuper, quod notatu dignum, in *extremis* ut plurimum partibus, nempe in brachio, cubito, crure, rarius in femore. Conferantur *causæ*.
- 10) Aliquando etiam in facie occurrunt, e. g. duræ illæ, rubræ & æstuofæ inflammations, quæ interdum dentium dolores excipiunt, *phlegmones* indolem sifunt; præcipue si minus dextre trahtentur.
3. *Apostematis.*
 - 1) Collectio sanguinis extravasati in unum quasi nodum, ideoque arteriore spatio circumscripta.
 - 2) In partibus præcipue carnosis & glandulosis.
 - 3) Reliqua videantur *tabula de abscessu*.

IV. CAUSÆ.

1. Tam *erysipelas*, quam *phlegmone*, satis frequenter ab *intra orrum* sumum habent, per modum *decubitus*, uti vulgo loquuntur, sive expulsione ad exteriora corporis, nempe ad artus materia expellitur: Præcipue in *phlegmone* post febres acutas rheumatico-inflammatorias.
2. Locum hic omnino habet *assertio antiquorum*, quod ejusmodi expulsiones inflammatoriæ natura soleant institui utili quadam intentione, dum illa materias noxias a partibus nobilioribus vitalibus deponat ad partes ignobiliores.
3. Et sane dignam meretur considerationem, quod tam *phlegmone*, quam *erysipelas* in *extremis artuum* plerumque proveniant, e. g. in brachio, manu, cruribus, pedibus, non vero facile in reliquo corporis trunco, rarius etiam in femore, & ibi quidem non sine ingenti periculo & malo successu, in primis, si error in cura committatur.

Hoc

Hoc etiam valet, quando in capite, in primis in facie se sistit; id quod frequentius feminis, quam viris, ob inordinatos menses evenit.

4. Causæ externe, a quibus inflammationes, præcipue erysipelaceæ, interdum exoriuntur, sunt
 - 1) Contusiones fortiores.
 - 2) Pruriginosæ scalpiones & punctiones.
 - 3) Frictiones cum panno aspero, unde sanguis exardescit.
 - 4) Ardor solis in tenerioribus, item etiam æstus ignis in foco culinario.

V. PROGNOSIS.

A. Generalis.

1. Sanguis extra motum suum alicubi stagnans vel *discerti*, vel *exsecari*, vel *suppurari* debet: si nihil horum contingat, simpliciter putreficit.
2. Optima ex his via est *discussio*: proxima est *suppuratio*. Mala & sœpe periculosa est *exsecatio*, nisi plane superficialis sit *congestio*. Pessima, imo funesta est *putredinosa corruptio*, ad minimum parti affectæ, subinde etiam vicinis.
3. Quando inflammatio febri acutæ vel associatur, vel eidem succedit, tunc retropulsio quam maxime cum vitæ periculo contingit.

B. Specialis

1) Erysipelas.

- 1) Erysipelas sibi relictum, præcipue in partibus ignobilioribus, non facile est periculosem: Quando autem, ut moris est, ad interiora repellitur, frequentissime mortem infert. *Conf. Hippocratis aphorism. 25. Sect. VI.*
- 2) In partibus nobilioribus majoris est momenti e.g. in capite, facie, fauibus, pectore, imo etiam in femore.
- 3) Periculosem est, si incongrua arte ad *suppurationem* perdatur.
- 4) Non minus sonicum est malum, quando ulceribus, vulneribus, fracturis aut luxationibus supervenit.
- 5) Quo magis febris complicata est, eo majoris est momenti.
- 6) In partibus *internis*, de quibus hoc quidem loco proprie non agimus, plerumque est perniciolum.

H

7) Sol.

- 7) Solvitur hæc inflammatio, quando vel pruritus, vel formicarum sensus, vel squamulae in parte affecta observantur.
- 8) Quo magis in consuetudinem degeneravit, eo facilius elevisima causa repullulat, ad morem aliarum translationum humorum, proprio naturæ motu contingentium.
- 9) Erysipelas, si in corruptionem ruat, pejor est, quam quæ in aliis inflammationibus contingit.
- 10) *Sphacelositas eryspelacea* per aliquot dies in cute delitescere solet.

2. *Phlegmones.*

- 1) In *phlegmonodeis* inflammationibus, late diffusis, non in unum notabilem locum & tumorem collectis, *discussio* maxime locum habet.
- 2) Phlegmone in *externis* partibus senibus & infanis periculosior est, quam junioribus, robustis & bene constitutis.
- 3) Citius succedit negotium discussionis in iis, qui sanguinem habent tenuem & floridum, quam in quibus spissitudo & viscositas illius peccat.
- 4) Quo magis temperata estaura, eo facilius superantur, in regionibus autem calidis & diebus canicularibus graviores sunt inflammations.

3. *Apostematis.*

- 1) Quando inflammatio in unum veluti tuber coacervata, & tam in profundum, quam in latum collecta est, tunc *maturatio* requiritur.
- 2) Præcipue copiosiores stases inflammatoriæ, ab externis causis inductæ, & in unum quasi nodum collectæ, si non cito medicationi offerantur, ad discussionem rarissime perveniunt, sed vel ad *siccationem*, vel ad *gangrenam* tendunt. Nonnunquam imprudente tractatione indurescunt, & tunc proxima occasione præcipites sunt in ulcerationem *cancerosam*.
- 3) Repente autem congestæ tales stases mollescentes rubro-lividæ extumescentiæ (große Beulen) a lapsu, iectu, verberibus exortæ, si mox in primo principio, præsertim dum adhuc augeantur, ipsis occurratur, commode discutiuntur.
- 4) Quando autem grandiores ejusmodi congestiones mollescentes

tes jam per plures horas detentæ sunt, neque inflammatio æqualis, neque debita suppuratione, (ob insufficientem transi-
tum motus sanguinis inflammatorii) contingit. Unde *gangrena*
& *sphacelus* immediate succedunt.

5) Conferatur tabula *medica* de inflammatione.

VI. METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.

A. Methodus generalis. Hæc in eo consistit, ut *discussio* prius tentetur, si vero hæc propter nimiam quantitatem materiae stagnantis obtineri nequeat, *suppuratio* promoveatur. Quare

1. Blanda pér *alvum* evacuatio, si reliquæ circumstantiæ concedant, ante omnia instituantur.

2. Deinde si plethoricus sit ægrotans, & stasis major ac profundior, *venæsecțio* sufficiente quantitate administretur; quæ vero in leviorre inflammatione non æque opus est.

3) Postea ad *resolutionem* & *discussionem* staseos promovendam

1) *Interne* propincentur absorbentia citrata cum antimonio fixo, sale digestivo, nitro & momento cinnabaris conjuncta, & hæc præcipue in subjectis calidioribus. *Essentia alexipharmacæ Stablii*, sive ordinaria sive temperata, pro subjectorum conditione. Conf. tab. med. LXXXIV, ubi hæc essentia descripta est, vid. etiam *cautela*.

2) *Externe* parti affectæ imponantur *camphorata*;

α) Et quidem, si levior sit inflammatio, sola, vel cum nervino discutientibus; croco, myrrha, mumia, distemperata:

β) Si vero majoris considerationis, & affluxus in motu sit, con-
jungantur camphoratis *subadstringentia*, *saturnina* e. g. ce-
russa alba, saccharum saturni, parce adhibendum. Item
pulverulenta illa, e. g. farina secalina, fabarum, creta pulve-
risata, *herbæ traxmaticæ* & leniter adstringentes, e. g. bellis
minor, chærefol. &c.

γ) Imo, sia sensu exquisito affluxus augeatur, vel adhuc in mo-
tu existat, *positive adstringentia*, cum resolventibus & discu-
tientibus socianda, locum habent.

B. Methodus specialis

i. *Erysipelas*.

1) In leviore casu negotium discussionis vel soli naturæ relinquatur,
vel topicis convenientibus promoveatur. Talia sunt

H 2

a) *Cam-*

- a) *Camphorata*, quæ vel in sicca forma, vel soluta, nempe spiritu vini rectificatissimo applicantur. *Vid. Cautel.*
- b) *Earinacea & furfuracea*, e. g. farina secalina, triticea, lupinorum, fabarum, hordei; quibus camphora commisetur, item cortex medianus sambuci.
- c) *Saturnina*, superius jam nominata, sed cum discutientibus maritata.
- 2) In graviore inflammatione erysipelacea præstat remedia *interna*, quæ superius indicata sunt, cum *externis* conjungere.
- 3) Quæ *specificæ* ab *Auctoribus* laudentur, sub *Cautelis* videantur.
2. *Pblegmones.*
- 1) In hac inflammationis specie quadrat potissimum methodus generalis, superius tradita.
 - 2) Discutientia vegetabilia videantur *Tabula medica de inflammatione*.
 - 3) Præcipue in majori stasi hic non acquiescendum in solis topicis, sed interna debent conjungi.
 - 4) Quo major & profundior hæc stasis est, eo magis conveniunt *emplastræ*, cum larga quantitate camphoræ remixta: e. g. præ alius diaphoret. *Mysichti*, de spermate ceti ejusdem, de meliloto, diachylon cum gummatibus, de ammoniaco *Eorefti*, saponatum *Barbette*, præcipue etiam de spermate ranarum, quod simul impetuosum ad inflammatam partem affluxum modeste cohibet, alia vero acriora & unguinosa admiscere minus convenit. Conjungantur autem ubique interna resolventia & discutientia.
3. *Apostematodes.*
- 1) Hanc inflammationis speciem primis diebus discutientibus æque ut alias tractamus, quando autem ad maturationem tendit, tractatur, uti tabula sequente de *abscessu* dicetur.
 - 2) Stasis autem repente congestis, nempe rubro-lividis illis extumescentiis, a contusione, lapsu, verberibus inductis, mature occurratur.
 - a) *Compressione cum ferro frigido.*
 - b) Præcipue autem cum medicamentis, sanguinem mature *re solventibus*, nempe rad. irid. Florentin., sigill. Salomon., bryon, herb.

- herb. hyssop., chærefol. bellid. min. sem. anisi, cuius oleum *Eoreffus* eximie laudat ad ejusmodi contusiones impuras.
- c) Coniunctis leniter *repellentibus*, inter quæ hoc loco fere præ-cellit radix *symphyti majoris*.
- d) Hæc pulverisata cum *vino* vel *urina*, quæ nonnullis arcaum hic est remedium, cocta, atque in forma cataplasmati applicata, discutunt satis potenter, es muß aber nicht zu naß seyn.
- e) In ambitu spiritus vini camphoratus vel his ipsis admisceri, vel camphora adspergi debet.
- 3) Quando autem grandior talis congestio per plures jam horas hæsit, ideoque neque *discussio*, neque etiam debita *maturatio* exspectanda sit, præstat corruptionem putredinosam per sectionem antevertere, & quidem ante, quam vel insignis inflamatio, vel plane corruptio accesserit. Apertio satis sit magna, ut sanguis grumosus, in corruptionem tendens, uno actu evacuetur. De hoc negotio legi meretur *Severinus de recondita abscessuum natura lib. VII. & de efficaci medicina §. 37.* Conf. etiam tabula chirurgica de contusionibus.

VII. CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

1. *In tempore venire* primarium est hic momentum. Præstat enim inflammationem resolvere & discutere, quam ad maturationem promovere.
2. Caveatur autem, ne sub intentione discussoria motus inflammatorii nimis exacerbentur, per remedia *calida*, *acria*, *volatilia*, *oleosa*, *bezoardica*.
3. Sic etiam caveatur a positive *adstringentibus*, *refrigerantibus*, vid. num. 22., *repellentibus*. Hac enim perversa methodo affluxus sanguinis necessarius, & utilissimo fine a natura institutus, cohibetur, & materia stagnans vel immediate in corruptionem putredinosam, vel ulcerosam, corrosivam & fermentativam colligationem abit. Daß her kommen die erstickte Schäden. Præcipue autem a talibus repellentibus cavendum, quando inflammatio ab *intra* & quasi sponte oritur.
4. Speciatim *refrigerantia* sic dicta *saturnina*, solitaria adhibita, in profundis & duris inflammationibus vel nil juvant, vel durum reddit scirrhosum lividum tumorem, & si sequatur suppuratio, in ambitu

ad minimum inspissata portio pejoris moris ulcerationem efficit, & sinuosis ulceribus viam sternit. In minus profundis inflammationibus peritum usum admittunt, item ubi pars affecta jam aperita est.

5. *Emollientia*, præcipue positive talia, nempe *humida aqua*, fibras relaxant, & ita damnum inferunt. Unde epithemata humida aqua in *erysipelate* æque ac *phlegmone* corruptionem sphacelosam inducere valent. Exulent itaque aquæ illæ destillatæ, e. g. flor. sambuc. chærefol. florum omnium, vel calcis vivæ &c. quæ passim a chirurgis adhibentur. Idem sentiendum de *oleosis*, præcipue de famosis illis e terebinthina paratis; item ol. *templinum*, juniperi. *Emplastrum mucida* etiam nocent.
6. *Pinguia*, *unguinoſa*, quam maxime nocent, & per talia vulgi remedia amicus amicum trucidat, e. g. tum hanc tabulam conscribimus, vir quidam uxoris suæ inflammatam faciem buryro innungit, & intra duos dies ad mortem illam comitatur.
7. Ab hisce emollientibus tanto magis in *erysipelate* & *phlegmone* abstinentendum est, quoniam tales inflammations ad maturationem per se non tendunt, & quando perversa tali tractatione impetratur, parsque inflammata insuper intempestive secatur, non est laudabilis maturatio, sed potius ulceratio cancerosa, ob concursum seri cum sanguine, vel plane sphacelosa corruptio. Proveniunt hinc talia ulcera, quæ olim *Öhl-Schenckel* vocata fuerunt, in quibus nulla consolidatio speranda, vel si omnino in uno loco consolidatio facta sit, in altero duo, tria vel plura foramina eveniunt. Unde quovis modo discussioni opera est navanda.
8. *Dolores dentium* post se trahere solent tumores *phlegmonodes*, qui tamen, si modo non nimis negligenter habeantur, sponte & mature iterum solent dissolvi. E contrario illi tumores, qui hoc in loco sine prægresso dolore dentium oriuntur, & æstum, ardorem, dolorem pruriginosum, pungentem & lancingantem secum ducunt, non carent periculo, in primis, si improvide repellantur.
9. *Camphora* scopo discussorio, tam in *phlegmonodeis*, quam *erysipelaceis* inflammationibus, egregie satis facit, in primis si adhuc recens sit malum.

10. *Spi-*

10. *Spiritus camphoratus* hac cautela adhibeatur, ut per initia *eminus* tantum, nempe ad circumferentiam partis inflammatae applicetur, & deinde in horas, quoties nempe spiritus in auras abiit, ad centrum proprius admittatur. Modo sit *rectificatissimus* spiritus, alias damnum potius, quam auxilium, adfert.
11. *Optima methodus* est, ut *spiritus* brevi temporis spatio sub aura exhaleret, & sola camphora linteis adhærescat. Quando autem linteum spiritu adhuc madidum applicatur, diurna illius mora ardorem infert, eumque in *erysipelate* vehementem; quo casu ad spiritum profligandum aura, sed non sensibiliter frigida, dolenti parti admoveatur, man bläset dem Patienten, am besten mit dem Munde, an den schmerhaftesten Ort.
12. Hac methodo quando utimur, plerumque cavemus incommoda illa, quæ camphorata in subjectis quibusdam sensibilibus non raro adferunt, & motus inflammatorios in febriles exasperant. Convenit in his loco *spiritus vini camphorati* sacculos siccos, e camphora, farina fabarum &c. constantes, applicare.
13. In stashi *erysipelacea copioiore*, ubi cutis notabiliter inflammatæ apparet, cavendum est, ne *sanguis serotinus* discutiatur, portio autem *lymphatico-serosa* relinquatur, & tumorem *edematosum* constituat. Huic incommodo occurritur, si *spiritus modice* sit camphoratus, & ad notabilem flavedinem *crocatus*. Crocus enim sub initium talis discussionis non modo serosam substantiam ad dissipationem aptior rem reddit, sed etiam fibras roborat, ut repressio eo melius procedat.
14. In illis *phlegmonodeis* & *erysipelaceis* affectionibus, qui ab *interno motu* expelluntur, commode applicantur *pulverulenta siccata*, sacculo inclusa, & moderate calefacta, e. g. farina, fecalina, & quidem paulo nigror, fabarum, immiscendo aliquid cerussæ & camphoræ, atque in superficie inspergendo spiritum camphorato crocatum.
15. *Phlegmonodeæ* inflammations, a febribus acutis prognatae, valde sunt sensibles. Quare tanto magis a refrigeratione defendendæ, & membrum siccò calore, in einen Rüssen, fovendum est. Succurratur autem etiam internis remedis diapnoicis & absorbentibus, addito audacter *nitro*, quod revera & hic egregie convenit.
16. Abstinendum autem a *calidioribus* non solum, verum etiam a *retrovocantibus* medicamentis, qualia sunt *purgantia*, quæ in talibus casibus

bus maxime nocent. *Laxantia leniora* tolerantur, sed in principio principii. Commandantur hoc nomine pilulae *Becherianæ*, & in primis *Stahlianæ*. Multo minus convenienter *emetica*, quæ multis anfam mortis præbent.

17. *Alexipharmacæ temperata* post tertium vel quartum diem commode adhibentur. Securissime procedimus, si leniora diapnoica, absorbentia & nitrosa exhibeantur, & iisdem semel vel bis per diem lene alexipharmacum interponatur, quo nomine essentia alexipharmacæ *Stablii*, cum larga portione essentiæ pimpinellæ albæ mixta, egregie se gerit, hæc enim radix leniter resolvit & abstergit.
18. *Essentia parasitidis* commendationem meretur, si stasis diu jam duraverit, non autem sub initium.
19. *Specificæ* passim laudantur, sed optandum, ut effectui semper responderent, e. g.
 - 1) *Eel carpionum* iners est remedium.
 - 2) *Sanguis menstruus*, prima vice erumpens.
 - 3) Item *sanguis leporis*, a canibus agitati. Hunc exsiccatum ad dimidiam drachmam in vino propinant, & etiam linteo excipiunt, exsiccatum aqueo rore madefaciunt, erysipelati imponunt, atque intra 24. horas bonum effectum spondent.
20. *Lapis medicamentosus Crollii* quid præstet, experimentandum est; modo præmittenda non prætermittantur.
21. Quando erysipelas in consuetudinem degeneravit, ita ut a quavis exigua causa repullulet, conductit circa æquinoctia *venæsectio*, & blanda per alvum evacuatio, respiciendo simul cras in sanguinis sulphureo-acrem, ad vias urinarias invitandam & per easdem eliminandam.
22. Inflammationes partium *vulneratarum* ut plurimum exposcent venæsectionem prudenter instituendam, non reformidando prægressam hæmorrhagiam.
23. *Diureses* in omnibus profundit inflammationibus, per absorbentia cum teneris acidis saturata obtinendæ, e. g. per oculos cancri aceto vel vino imbutos; corallia præparata cum crystallis tartari remixta; quæ remedia acrimoniam sanguinis irretiunt.
24. Quando inflammatio a causis *internis* producta est, externa remedia paululum differenda sunt, donec orgasmus sanguinis deferuerit.

2j. Post